

pinam cum Lichenibus variis, quorum quosdam omnino novos credo, quos vero amicissimus Zoëga TEcum communicabit.

Insectorum paruum admodum quantitatem cepi, quorum tantum duo novas credo species.

*Lepisma cauda tripili*, seta intermedia longiore, abdomine subtus filoso.

*Forbicina teres saltatrix* Geoff: Hist: des Ins. II. p. 614. n. 2.

Habitat frequens inter lapides Maris Edimburgici . . . <sup>1)</sup>

*Cancer parasiticus* manibus scabris, cauda apice callosa vnguiculata.

Habitat in fissuris rupium maris Edimburgici conchas varias intrans . . . <sup>2)</sup>

*Hydra triticea* Fn. Su. copiosissime hic rupibus adhaeret et nuperrime mihi asseueravit D. Schun Minister Bamfensis hydram triticeam esse oua Buccini lapilli, quum ipse vidisset, Buccinum hoc oua ad latera vasis apposuisse. Continet certe eandem materiem aut humorem purpurascentem ac Buccinum lapillus. Dubitauit idem etiam, ne Alcyonium digitatum oua essent Patellae vulgaris; quod tamen in dubio reliquit. Sententiam TVAM de hac obseruatione auide exspecto.

E regno minerali mineras inueni haud paucas inprimis cobalti, plumbi, cupri et ferri.

Crastino die iter Londinum versus inchoabo, si itaque me litteris TVIS beare velis, vt eas ad Zoëgam mittas etiam atque etiam rogo.

Vt TV nobilissimaque familia diu incolumes floreatis meque benevolentia VESTRA haud dedignetis feruenti peccatore opto.

Dabam Edimb. d. XVII Sept.

1767.

Hisce includo nouam Balani Speciem, margine baseos laciniato, quam heri in frustulo rupis Faeroensis inter alia corpora marina inueni. Vtinam modo integram et illaesam acciperes! Vale. J. Zoëga.

<sup>1)</sup> Længere Beskrivelse (Machilis poly-poda).

<sup>2)</sup> Længere Beskrivelse; uden Tvivl Pagurus araneiformis Syst. Ent. 411. 7.